Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2887
Quelle:
Copyright:

Mira ſed regni ſeries ſuperni
Cepit et mire. Puta quod fidele
Exigit cor, ac magis in futurum
Mira dat æuum.

Cum ſenex eſſet Zacharias orans
A Deo dandæ populo ſalutis
Nempe promiſſum per in orbe Chriſtum
Carmine Vatum &c.

Praefatio Paſchalis ſic concipitur: *Vere dignum et iuſtum eſt, bonum et ſalutare — Quia debellatis Inferis, morte etiam proſtrata captiuitatem hæreditariam noſtram diſſoluiſti* &c. Sed ineptiarum ſatis! quae fortaſſis, ut ſubolet, ad *Paulum Scalichium* pertinent.

DCCXCIX.

405 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 67. 4. commode ſcriptus, rubricisque enotatus eſt Opus *de Myſteriis Miſſae Innocentii* III. qui ante Pontificatum vocabatur *Lotharius* et an. 1216. ſupremum habuit. In hoc *Codice*, ſecus ac in *Cod.* CCXXV. inſcribitur: *Incipit prologus in librum ſacramentorum domini Innocencij pape* III. Initium Prologi: *Tria ſunt in quibus precipue lex diuina conſiſtit* &c. Prologum excipiunt *Capitula prime particule.* In VI. enim *particulas* aut libros tota Tractatio diſpeſcitur, quos ſemper *Capitum* Elenchus praecedit, eorum tamen numero, nec cum *Cod.* mox *cit.* nec cum *Editis* ſemper conſpirante. Ultima ſunt: *totum* (Miſſae Canonem) *continue cenſui ſubſcribendum.* Qui tamen non comparet, Librario, ut putem, eundem alioquin ſat notum arbitrante. Ejus loco addidit: *Explicit liber ſacramentorum domini ac uenerabilis pape Innocencij.* Totus ita pium et Deo conjunctum hominem loquitur, ut non niſi aegre credas, quae Scriptores quidam de Ejus faſtu et dominandi libidine tradidere. Adi et *Cod.* CCXXV.

DCCC.

Codex membraneus lat. Sec. 426
XII. Folior. 86. 4. probe ſcriptus, rubricisque diſtinctus, olim *S. Mariae V. in Speciosa Valle* ſeu *Schönthal* O. Ciſt. non procul *Mergenthemio*, varia complectitur, et quidem I. Expoſitionem Miſſae praevio hoc Monito miniato: *Opuſculum de actione Miſſarum quod ſubter annexum continetur collectum quam maxime eſt ex verbis Sanctorum Patrum. Cypriani. Ambroſii. Auguſtini. Jeronimi. Gregorii. Fulgentii. Severiani. Vigilii. Yſidori. Bede. Aviti. Que ſuis Locis per ſingula Litterae nominum que forinſecus* (ad marginem) *prenotantur oſtendunt. Sed et ex antiquis myſteriorum* (Liturgiarum) *libris quedam uerba neceſſario ſumpta ſunt* &c. Sequuntur Loca quaedam PP. in quibus generatim de Altaris Sacrificio agitur: *Auguſtinus. In myſterio corporis*